Q. D. B. V.

DISPUTATIONEM INAUGURALEM
DE

LUE VENEREA

Consensu Inclyti Collegii Medici in Academia Wittebergensi

PRÆSIDE

Viro Nobiliss. Ampliss. Excellentiss. ac Experientiss.

DN. JEREMIA LOSSIO

Phil. ac Medic. Doct. Anat. & Botan. P.P. longè Celeberrimo, Medico Provinciali felicissimo,

Dn. Patrono, Præceptore ac Promotore omni Honore æternùm Devenerando

PRO LICENTIA

Summos in Arte Medica Honores, Privilegia ac Insignia Doctoralia legitimè impetrandi

Publicæ Eruditorum Censuræ subdit

JOH. GEORGIUS Rebentrost/
Drebachio-Misn.

in AUDITORIO MAJ. d. XX. Septembr.
ANNO MDC. LXXXIII.
Horis ante- & pomerid.

WITTENBERGÆ,
Typis MATTHÆI HENCKELII, Academ. Typogr.

Qvod felix atq; faustum sit!

PROOEMIUM.

AUgiæ dum olim Hercules stabulum repurgaverat, Hydramve Lernæam fortissimâ manu transfossam internecioni dederat, magnam ob ingentes hinc exantlatos labores consecutus est laudem; Animum enim abjecerat qvisqve, hocce sufferendi onus, tantaqve & tàm periculosa pugna ancepsq; prælium absterruerat omnes, qvin manum consererent. Si fœdissimam Venereorum Luem Hydram morborum dixero, aut in eâ curanda stabulum & multiplicium & sordidissimorum Symptomatum Medico expurgandum esse asseruero, nihil forsan erroris committam. Sive enim prima incunabula in mentem sibi qvis revocaverit, sive ejusdem incrementum, undiqvaqve fœdum morbositatis hujus caput satis abundeqve prominebit. Horrendum autem auditu, eò humanam increvisse impietatem, ut nefandæ hujus progeniei autor immoderata extiterit libido, novumqve, sed proh dolor! pessimum morborum genus prodigiosæ aliàs, qvâ cum semper nostræ obluctandum naturæ, multifariorum affectuum cohorti superaddiderit. Hinc etiam justissimum Numen non potuit non ingravescentem hominum malitiam, qvam olim totarum terrarum inundatione *Gen. c. 7.* extinxerat, flammisqve cœlitus demissis enecaverat, *Gen. c. 19.* acerbissimô ac ulcerosô hoc morborum genere compensare,

ut abs vagis atqve efferis libidinum flammis mortales se continerent cautius. Utut autem fœdus sordidusqve satis sit affectus, ab ipsius tamen examine ac exqvisito scrutinio non nausea retraxit summos gravissimosqve in arte Medica Viros, qvos integris plaustris advehere possem, plurimosqve collegit *Jordanus Zilettus in Oper. Venet. de Morb. Gall.* nec mihi sordidum indignumqve habitum iri arbitror, si in commodum proximi, qvantum ingenio ac viribus valebo, huic spurio libidinis fœtui tribuero. Id qvod dum in Specimine hoc Inaugurali aggredior, faveat divinus Medicinæ Autor conatibus meis clementissimè, omniaqve per commoda proximi in Immortalis sui Nominis Honorem ac Gloriam cedere feliciterqve evenire jubeat!

CAPUT I.

Venereæ Luis Nomina, Originem ac Definitionem evolvit.

§. 1.

Dicturo autem mihi de virulento Luis Venereæ malo in limine statim tàm diversa, tamqve varia imponendorum nominum ratio obviam venit, ut in numero morborum humano generi infestorum nullum ferè copiâ magis luxuriantem invenire liceat. Cùm autem monente *Aristotele* ἀρχὴ τῆς παιδεύσεως ἡ τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψις, *initium doctrinæ nominum dilucidatio* sit; Eâqve rerum essentiæ, *Platone* teste optimè cognoscantur; ad evitandas inanes vanasqve λογομαχίας consvetâ differendi methodô, qvantum qvidem instituti nostri ratio ferre videbitur, illi paululum immorabimur.

§. 2. Videtur autem mihi copiosum horum nominum proventum hinc magis succrevisse, qvod qvævis Natio dedecus hoc ac probrum, tanqvam lasciviæ & effroenatæ libidinis fructum, à se in aliam devolutum cuperet. Hinc Gallis audit *Morbus*

Neapo-

Neapolitanus, *Hispanicus ac Scabies vel Variola Hispanica*, eò qvod prope Neapolim, ubi castra metabantur Galli à militibus Hispanis fœdam hanc morbositatem contraxisse credebant. Inferiorem Germaniam inhabitantes Belgi eandem ob causam *Scabiei Hispanicæ*, ac Angli *Variolarum Gallicarum* nomine designant. Sed Hispani, ut à se mali hujus atqve probrosi scandali exortum rejicerent, appellant *Patursa seu morbum ac Scabiem Indicam*, eò qvod ex India occidentali, ubi Endemius creditur morbus, post inventum novum Orbem transportârint ipsorum cohortes, *Vid. Helm. Tum. Pest.* A partibus in qvibus communiter sedem suam figit, nonnullis dicitur *Pudendagra*, *Mentagra*, *Pestis vulvæ*, inter qvos & *Paracels. l. 3. c. 1. Chirurg.* qvi & *Basiliscum*, *Sodomam Gallorum*, *leprarum filiam & leprosorum spurium* dicit; Alii *Virulentiam veneream*, *Variolam magnam ac Pustulas mali de Francia* vocavêre, Vid. *Eduard. Maynwaring Tr. de Lue Ven. Siphylidis* nomen qvando obtinet, Poëtarum fabuloso Commento, fingentium Pastorem cognominem hâc lue primum omnium inqvinatum fuisse, tribuendum putat *Nicol. de Blegny Obs. in L. V. c. 1.* Nec rejiciendum qvoqve est, qvando à probis ac piis *morbus pudendus*, qvod reapse aliqvid probrosi contineat, nuncupatur, merumqve esse vindictæ divinæ effectum asseritur, cujus fons ac origo aliunde arcessenda non sit, qvàm à divinitus in enormem hominum libidinem irrogatâ pœnâ.

§. 3. Nos in præsentiarum *cum Fernelio*, *Sennerto*, *Sylvio* aliisqve Medicis Celeberrimis, missis cæteris appellationibus omnibus, nulli gentium nationi ignominiam aut injuriam facturi, aptissimo *Luis Venereæ* vocabulô totô hôc discursu utemur, removentes præterea omnes alios, ortum aut excessui aut defectui Veneris debentes morbos; Cùm omnes hic sævitia ac pertinaciâ superet, contagiosum ejus seminium in insidiis lateat, nec aliqvis facilè hanc hodiè contrahat, nisi contagiô venereô, qvod insultum & impetum facit in humanum genus diversis viis, serpitqve in varias corporis partes, incertò num hic, num ibi locum capturum; cruciat exqvisitè, mortem infert lentè, agit tædiose & dolorificè, exitum relinqvens ancipitem dubiumve.

§. 4. Qvod Luis hujus Originem, propagationis modum, ac progressum attinet, tantâ animi contentione inter sese pugnârunt

runt Autores, ut in diversas, qvod ut plurimum fieri consvevit, abierint partes; Utraqve verò opinionum verior sit, admodum difficulter cognoscitur. Alii enim pro antiqvitate illius pugnant, pro novitate alii. Morbum antiqvum qvi volunt, in subsidium opinionis suæ vocant, qvod ab omni ævo prostitutæ libidinis extiterint mulieres, omnibus, nullô habitô discrimine, Tros Rutulusve fuat, viris se commiscentes, ipsiusqve adeò primordia ab impuritatibus priscorum seculorum æqve oriri potuisse. Medicos qvoqve antiqvissimos de accidentibus Venereæ Luis, qvibus nobis innotescit, sub nomine *ardoris urinæ, gonorrhœæ, ulcerum virulentorum, bubonum fœdorum, pustularum siccarum, porrorum, nodorum, cariei, exostoseων* &c. egisse, ac admotione ungventorum ☿alium, nobis etiamnum apud ejusmodi infectos usitatorum iisdem medicatos esse: *Hippocratis* qvando autoritatem afferunt, qvi *lib. 3. de Epidem. Sect. 3. de Statu Pest. de exulceratione orum, tuberculis pudendorum, carnium suppurationibus, denudationibus, ac elapsu ossium, defluvio capillorum* &c. qvæ à nobis tanqvam certissima signa ac V. L. symptomata assumuntur, multa commentatus est, cùm cætera, qvibus D. Senex febrem pestilentialem ac tantoperè malignam delineavit, in rem illorum minùs facientia omittant, facilè ob mancam ac mutilam verborum ipsius adductionem redarguuntur. Propugnant tamen *Hieron. Fracast. Aurel. Minadous, Leonic.* & novissimè *Nic. de Blegny c. l. c. 1. p. m. 259.* Non minori qvoqve fervore pro Senio Luis nostræ certat *Maynwaring. dict. Tr. de L. V.* pluribusqve rationibus evincere conatur; concedens qvidem, assentiente *Helmontiô*, non omnes humanæ naturæ contingentes affectus simul atqve unò impetu in mundum irruisse, sed omninò nonnullos prioritatem existentiæ in diversis seculis congruam locorum conditioni, varioqve corporum statui & alterationi, nactos esse. Hinc accusat spontaneam degenerationem naturæ depravatæ, ingravescentia diætæ vitia, corruptos hominum mores, enormem Veneris æstum ac immensum luxum, qvæ omnia nascituro huic malo originem ac principium dare potuissent. Nec obicem ponere illius antiqvitati putat, Symptomatum variationem ac gravitatem, qvippe aliàs antiqvissimi etiam morbi ob insolita Phœnomena variantiaq; subinde ac plus minus gravia Symptomata, non novi, sed novissimi

dici

dici mererentur, id qvod tamen ob diversitatem subjectorum, diversas complicationes cum aliis morbis, oeconomiæ confusam ἀταξίαν, ac individuales proprietates non potest non uni eidemqve in specie, radice ac modo generationis morbo contingere.

§. 5. Maxima Medicorum Celeberrimorum pars natales, originemqve ipsius, non nisi ante duo circiter secula, ad Annum nimirum 1494. ponunt, à fide authorum historica tamdiu pendentes, donec firmioribus evincant rationibus de antiqvitate contrarium sentientes. Hispani enim cum in partem Americæ Septentrionalem Duce Columbô ad detegendam partem istam orbis incogniti venissent, sub latitudine Floridæ, ubi Lues hæc Endemia creditur, subitò eâ fuêre infecti, ibîdemqve per duos fere annos commorati tandem anno 1494. Alphonso Rege ad relevandam Neapolim à Caroli VIII. Galliarum Regis copiis cinctam mittebantur. Urbs vero ingenti annonæ defectu pressa superfluas mulieres (ut conjicere licet deterioris notæ) ejicere coacta est, atqve cùm Indicô hôc aromate probè conditæ fœminæ in Gallorum castris alacriter fuissent receptæ, brevi Copias Gallicanas adeò infecerunt, ut gravissimum in modum inter eas sæviret fœdissima Lues vid. *Maynwar. c. l. c. 3. & Gabr. Fallop. d. Morb. Gall.* Qvod *Leonh. Fiorovanta Celebris Empyricus Italus* de aggravatione mali hujus per esum carnium demortuorum hominum ac duobus experimentis in porco & cane à se institutis, suæ speciei carnibus continuò pastis, atqve hinc brevi defluviô pilorum pustulisq; in tota cute defœdatis; *Osw. Grembs L. II. c. 5. arb. ruinos.* de congressu hominis nefarii cum Eqva, sordidô ulcere, qvod à Gallis *le Farcin* vocatur, diffluente; *Minadous* de putrilaginosa variorum Seminum in utero mulierum Indicarum corruptione; ac *Theoph. Paræc.* c. l. de commixtione leprosæ cum scabioso, proferunt, tanqvam minus verosimilia aut admodum incerta mittimus; non planè rejiciendo illos, qvibus non semper per contagium, sed qvandoqve spontè oriri posse in sanis hominibus, immoderatiùs Veneri litantibus, Lues hæc eruditis conjecturis videtur. Nam cùm ipsi humores benigni, dicente *Celeberrimô B. Senn. l. 2. Inst.* indolem venenosam induere possint; materia cancri, lepræ ac malignorum bubonum in nobis ipsis concipiatur, humoresqve tantam uliginem ac corruptionem nonnunqvam

qvam ſubeant, ut abſceſſus ulceraqve maligna vermibus qvoqve innumerabilibus ſcatentia excludant, qvalia exempla in variis corporis partibus, utpote è naribus in illuſtri Matrona, è vulnere pectoris, è muſculis brachiorum & crurum, è dentibus carioſis, è vena in brachio ſecta, ex ulcere in ingvine mulieris, adducit laudatus *de Blegny in Zodiac. Medico-Gall. Ann. 1.* & in apertis bubonibus peſte occiſorum Romæ adnotavit *Julius Placentinus*, non adeò dubitandum, cùm morbi & morborum malignorum cauſæ in nobismet ipſis hoſpitentur, fœdam hanc Luis virulentiam non modò apud Indos aliasqve gentes, ſed in unoqvovis ſubjecto, ac maximè in ſexu ſeqviori, veneri tamen nimis indulgenti, ob exhauſtum Spirituum robur ex vappeſcente ſangvine conflari potuiſſe.

§. 6. Hinc non inſulſa ſunt, qvæ *dictus de Blegny Tr. de V. L.* de ſeminum plurium individuorum conceptorum in utero unius nefandæ meretricis eruditis rationibus exponit, parumqve ipſi derogabit, qvod probante *Wilhelm. Harv. de Gener. anim. exerc. 67.* experimentis in cervis, damis aliisqve animalibus factis, poſt abſolutum coitum, nihil ſeminii inveniendum fuerit, cùm fortè aut in rugis uterinis abſcondi; aut à bibula ac poroſa uteri ſubſtantia attrahi potuerit. Extra enim omnem dubitationem verum eſt, ſemina non modò in ſe continere ideas & formas omnibus ſpeciei ſuæ partibus congruas, ſed præterea qvoqve recipere particulas qvasdam à ſuo habitaculo corpore, intimè ſibi conjunctas, qvæ & bonorum & vitioſorum individualium tamen characterum ac affectionum, à qvibus pependerunt, arcanô ſigillô pollent, qvibus morbi hæreditarii, calculus, podagra, Epilepſia, Scorbutus ac ipſa noſtra Lues ſuam nonnunqvam originem debent. Non adeò itaqve mirum aut παράδοξον videbitur, ſi à tot, tamqve variorum individuorum ſeminibus, ob inæqvalem commixtionem, validioremqve accedentem agitationem, hinc fermentationem plus æqvô vehementiorem non modò oriri, ſed etiam, cùm maximopere à naturæ legibus diſſita ſit, qvod ab ingenti individuorum numerô culpabilis particularum contrariarum ſibiq; invicem oppoſitarum concurſus fiat, à qvo natura omnimodè abhorret, eò deteriorem immutationem ac à perfectione planè alienam, ad qvam tamen naturæ inſtitutum aliàs ſemper vergit, inſeqvi aſſeratur. Corruptio enim qvin

muta-

mutatio ſit, qvæ fermentationes inſeqvitur, nemo inficias ibit; Neqve difficile eſſet deducere, qvomodò varia illa ſeminum confuſio à fermentatione ad corruptionem tranſire valeat; Qvandoqvidem ejusmodi miſcelâ, ubi primo ſemini ſecundum, ſecundo tertium, tertioqve paulo poſt iterum aliud adjicitur, non poteſt non particularum contrariarum pugna ſuccendi, atqve, dum aliæ aliis prædominantur, aliæ alias ſupprimunt, hinc actio naturalis, qvæ conceptionem aliàs intendebat, fruſtrari atqve ad corruptionem ferri. Cui præterea partis continentis calor ac uliginoſa humiditas fomitem citum ſuppeditabit. Qvâ autem ratione venenatam induere poſſint indolem humores, altioris indaginis res eſt; Interim tamen cùm omnibus conſtet, ſemen ſangvinis portionem optimam eſſe, omniumqve conſenſu eò deteriorem haberi corruptionem, qvò res corruptæ ante nobiliores ac ſinceriores fuerunt, non omninò impoſſibile demonſtratu fore reor, peſſimam hanc Luem etiam ſine præexiſtente contagio primitus excludi potuiſſe, imprimis ſi adductum de *Blegny c. l. p. 262.* exemplum de puella qvindecim annorum hac ratione infectâ fidem mereretur. Legi etiam hanc in rem posſunt *Lang. l. 2. epiſt. 14. p. 618. Beniven. obſ. Medic. c. 1. p. 94. & Iſaac. Pontan. p. 100.*

§. 7. Cum autem hæc omnia rationibus non futilibus qvidem innitantur, per experientiam tamen, alterô Medicinæ fulcrô, hactenus nondum comprobata ſint, cuiqve liberum ſit ſentire, qvod velit. Recepimus tanqvam commodiſſimam omnium appellationem, terminum Luis Venereæ; Ubi qvivis, facilè ex appoſito vocabulo *Venereæ* perſpectum cognitumqve habebit, nos non de qvacunqve Lue, cui morbi contagioſi, peſtilentiales ac maligni, ipſaq; peſtis ſubſunt, in genere acturos eſſe, ſed reſtringi à nobis hanc ſignificationem tantum ad morbum, ſeu veriùs Syndromen plurium morborum ex venereo, immoderatô ac nefando libidinis œſtro excluſam, productam, perqve variis modis poſſibile contagium diſſeminatam ac diſſeminandam.

§. 8. Hinc nobis *Lues Venerea eſt morbus lymphaticus, virulentus & contagioſus, à miaſmate acri-acido maligno exortus, lympham ac ſangvinem primariò inqvinans, variasq; hinc corporis partes gravibus morbis ac ſymptomatibus afficiens.*

§. 9. Ut eò felicius detegere valeam difficultatem ac variegatam ingentis hujus mali naturam, latitudine qvâdam uti necesse habui, generisqve loco morbum assumere coactus sum, non nescius aliis aliter definiri, utpote per Cachexiam à *Jonston. Syntagm. Medic. Pr. de L. V.* per putredinem, à *Fererio*; & ab omnibus fermè Medicis diversimodè. Cùm enim lædat primò, immediatè & sensibiliter satis plures actiones corporis humani, & p. n. adsit Partium constitutio, morbus omninò, *ac cum Theophr. Parac. Tom. 1. Op. p. m. 143.* maximus, pessimus ac amplissimus vocari meretur. Dum enim humores reddit corrosivos, qvam acrem sangvinem vappescentem, partiumqve temperies pervertit, qvalitatis mutatæ morbis; ratione verò concomitantium, dum ossa sibi continua, glandulasqve cohærentes dissolvit ac erodit, pustulisqve totum corpus l. aliqvas partes defœdat, solutæ unitatis accensetur. *Lymphaticus* etiam jure audit, qvia principaliter lymphæ seu humori illi, qvi intimum cum sangvine connubium init, se associat, inqve partibus perpetuô madore sqvalidis, utpote faucibus, naribus, pudendis ac potissimum glandulis, tanqvam humorum ejusmodi diversoriis acre suum virus deponit, iisqve tanqvam vehiculo utitur, qvô in alia subjecta malignitatem suam transportat. *Virulentus* item *atq; contagiosus est*, qvia dicente *B. Senn. L. VI. Part. IV. c. 3. Prax.* in exigua mole materiæ, per qvam contagiosè hæc lues contrahitur, tanta agendi vis & potentia, qvalem nulla qvalitatum primarum, aut ex iis resultantes temperies habent, latet. Nullis enim regnandi finibus se continet, flammæ similis, qvæ patefactô aditu liberius erumpit, vires motu colligit, vicinis imminet, ac latè omnia vastat, cineresqve antiqvos igniculis latentibus semel iterumqve excitat; fermentumqve imitatur, qvod attestante *Helm. Tum. Pest. p. m. 156.* Solidis & liqvidis corporis nostri partibus odoris instar affixum cæteras ægritudines in sui obseqvium mutat, tamqve gravia symptomata infert, spirituosa, humorosa adeò alterat, ut vitalitate exutâ cadaverosa & œconomiæ corporis nostri non modo inepta, sed hostilia ampliùs sint. Tanta enim Symptomata à Veterum humorum qvaternario eorumve alteratione minùs expectanda, nihilqve virtutis contagiosæ ac malignæ, qvâ utrâqve sævit Venerea Lues, alunt. Inflammatione

tione enim ſangvineâ non exeduntur oſſa, ſed phlegmones oriuntur; nec Bilis, nec pituita, nec Melancholia tantâ ferocia ac fœditate corpus peſſundant, ac virulenta Luis materia, ſed l. eryſipelate, l. Leuce ac tumoribus œdematoſis l. ſcirrhoſis & Alpho ſe prodent. Confitendum itaqve omninò hiſce inſolitis malis aliqvid virulenti ac maligni ſubeſſe; Cùm prætereà non vulgaribus Medicamentis auſcultent, ſed vix ſpecificis ac Alexipharmacis profligari poſſint. Qvod deniqve per varios *contactus* ſeminale ſuum fermentum ad extra diffundat, ac juxta *Bernh. Tomitanum l. 2. de M. G.* corpora ſana, validisqve viribus prædita, absqve ulla præcedente affectione & morbô, brevi interpoſitô tempore, eâdem virulentiâ afficiat, ac, qvemadmodum in ipſo individuali corpore ab una parte in alteram transmittit, aliis qvoqve variô commerciô communicet, cùm omnibus ferè Medicis in aperto ſit, in comprobatione rei veriſſimæ nec prolixior ero.

§. 10. Hæc tamen adhuc adnotaſſe intererit, etſi *Helm. l. c.* Luem hanc adeò atrocem, virulentam ac feſtinanti putredine necantem ratione corpuſculorum ſuorum minimorum, nullâ viſus potentiâ perceptibilium ſtatuat, exemplumqve aliqvod cit. *Tomitanus l. 1. d. M. G. ac Amat. Luſitan. Cent. 1. curat. 49.* de juvene & puero afferunt, qvi ſubitò dolore bubonibusqve Venereis vexabantur; Cui non abſimile eſt illud, qvod *Excellentiſſ. Dn. D. Præſidi* obſervare licuit in qvodam, cui penis glans ex contactu tantùm ac motu titillatorio manus mulieris cujusdam innumerabilibus ſubalbidis ulcuſculis nullâ moræ intercapidine inficiebatur. Qvod ſpirituoſitati fermenti venerei fortè, aut dicente *Celeberr. de Blegny c. l.* calori impellenti in bilioſis & ſangvineis, poris patentioribus præditis adſcribendum; aliqvando tàm lente ac ſegniter procedere, ut per complures annos delitеſcat, de qvo *vid. Senn. l. VI. de febr.* Sic apud *Sim. Jac. Obſ. 16.* contagium venereum ſextò demum menſe vires exeruit in puellis duabus. Qvidam ante ſexennium cum impura rem habens, obſervante *Felic. Plater. l. 3. Obſ. Med.* demum libidinis pœnam luit; Tophos, ve Galli, os vigeſimô qvintô annô â concepta Lue profligavit *Herc. Saxon. c. 11. de L. V.* vid. etiam *Proſp. Borgarutius meth. de M. G. c. 7.* qvod *cit.*

de Blegny occursui frigidiorum, crassiorum, pituitosorum aut melancholicorum humorum, qvibus activitas fermenti venerei irretitur atqve obtunditur, acceptum ferendum putat. Ut plurimum enim ex occulto & insidiosè corpus adoritur, tamqve mali moris est, ut non tantùm ad aliqvot annos perduret, verùm & cum infectis commoriatur, de qvo vid. *River. Obs. 5. Cent. 1. ac Cent. 4. obs. 22. & 29. nec non Petron. de M. G. c. 13. l. 2.* Et licet, tanqvàm favillæ sub cineribus exoticus hic hospes nonnunqvam latitet, cuniculis tamen qvasi actis post multos demum annos ruinam atqve interitum sævissimè minatur.

CAPUT II.

Subjectum proponit.

§. I.

DE Subjecto seu parte principaliter à contagio nostro virulento affectâ, ubi sedem suam eminenter figat, Medici diversis iterum opinionibus pugnant. Inducti enim Symptomatibus hinc inde conspicuis aliqvi *Caput*, qvod pustulis, doloribus, defluvio capillorum, destillationibus, tinnitu aurium &c. Qvod ultimum Symptoma profitente *Fallopio* adeò contumax atqve molestum interdum est, ut nullis ferè medicamentis cedere velit; cujus diuturnitas me qvoqve in montanis tractibus in Nobili qvodam patiente sat diu exercuit, afficitur, morbi hujus sedem esse statuunt. Alii *exteriores partes*, sumptô à defœdationibus cutis maculis, pustulis, scabie, pallidô interdum, interdum plumbeo colore, ulceribus &c. argumentô, ut *Leonic. Casp. Torella, Rondeletius* &c. Alii tantùm *partes genitales*, eò qvod communissimè Lues partes istas invadat, manifestosqve virulentiæ suæ characteres iisdem imprimat, qvales sunt urinæ ardor, gonorrhœa, inflammatio, tumor, ulcera, pro parte primariò affectâ habent; Alii *hepati* patrocinantur, ut *Fallopius, Massa, Tomitanus, Brassavolus, Mercatus, Montanus, Forestus, Herc. Saxonia*, qvi tamen ultimus differentias adhuc ponit in incipiente morbo, ubi naturalem spiritum, cujus fontem hepar putat, excrementitios humores in augescente, alimentarios, cùm in pleno suo statu versatur, accusat *d. L. V. c. 3.* Sed cùm hi omnes affectus

atqve

atqve Symptomata aliis etiam partibus, tùm internis tùm externis communes sint, neqve tantùm caput, aut cutim, aut partes genitales infestent, pro proximâ sede non haberi possunt. Nam succis atq; latice corporis infectis & à suo balsamico statu fermentô virulentô alienatis, non possunt non hujusmodi eruptiones & exanthemata in cute progerminare. De Hepate fortè Viri alioqvi Celeberrimi nihil protulissent, si illis observante *Harvæo de gener. aial.* (1) præexistentia Sangvinis, anteqvam ullum hepatis vestigium conspiciatur, aut (2) inventus *à Th. Barthol. Pecqveto & Joh. van Horne* ductus Thoracicus, qvem *Rolfinccius* distributoria lactea thoracica dicit, qvô hepar sangvificationis munere privatum, nec amplius pro distributoriô pulsantis sangvinis nedum αἱματοποιητικῷ viscere habetur, aut (3) maximè insons existere hepar reliqvis partibus corruptis & putrefactis, qvod in dissectis post mortem corporibus Lue hâc infectorum observavit *Maynwaring. c. 6. d. L. V.* innotuisset.

§. 2. Notum qvoqve est Morbos respectu situationis & residentiæ ad duas classes redigi posse. Alii enim partem aliqvam corporis peculiarem eligunt, in qva vim suam eminenter ac in summo gradu exercent, oriunturqve à particulari defectu & aberratione partium affectarum, ut Pleurisis, Colica, Cephalalgia, Podagra, Iliaca passio, Dysenteria, Angina &c. Alii nullis limitibus se continent, sed vim habent erraticam totumqve corpus ac omnes ipsius partes malè afficiunt, ac sine restrictione, nunc hic, nunc illic, se in conspectum dant. Ex qvorum numero morbi contagiosi venenati, pestilentiales ac maligni sunt, jam hanc, jam illam, mox aliam invadentes partem, varieqve per totum corpus se diffundentes. Varietas enim ista à primitivis causis, invadendi diversô modô, diversâ item malignitatis natura ac diversitate idiosyncrasiæ corporis contaminati derivari debet.

§. 3. Cùm itaqve Lues nostra Venerea ad hanc posteriorem classem jure referatur, virulentos suos mores non speciali cuidam parti tantùm inurit, sed semel recepta in corpus, vel in finibus hospitata, ad similitudinem aliorum Venenorum, penitiùs se corpori insinuat, nullamqve partem securam relinqvit. Id qvod eò

 clarius

clarius patescet, si diversitatem communicationis ac transmissionis, multiplicesqve contrahendi modos simul conjungamus. Nunc enim per impurum coitum, qvalia exempla passim sunt obvia, videriqve possunt in *Observ. Schencky, Lang. Wier Forest. Horst. Beniven. Hoffmann. Kerkring. & Joh. van Horne*; Nunc per oscula, qvâ ratione puellam à Sacerdote malô hoc contaminatô infectam refert *Horstius l. 23 obs. 2.* Nunc per communem instrumentorum ac vasorum usum, cucurbitularum, novaculæ, non depuratorum, qvod *Tackenius Hippocr. Chym. c. XV.* adducit; Cochleariumit. poculorum & patinarum; de qvo *vid. Sebitz. Spec. Med. Part. IX. c. 2. de Contag.* Per communem latrinarum usum, lotii recens emissi à venereo halitum, per insensilem transpirationem ac sudorem, qvalia exempla *Petr. Rostin. p. 40. d. M. G. & Zacut. Lusit. Prax. Hist. l. 2. cap. 1.* adducunt, acqviritur. Per hás itaqve discrepantes communicationis species, nunc pudenda, tùm in viris, tum in seqviori sexu, partesqve reliqvæ generationi inservientes; nunc labia, fauces, facies atqve cutis externa primò labem hanc recipiunt.

§. 4. Qvare cùm tàm latè grassetur Venerea Lues, nobisq; cum *Franc. de le Boe Sylv. Prax. Med. Tr. de L. V. §. 50. & 53.* fatendum sit, nullis partibus tàm continentibus, qvàm contentis parcere, *SUBJECTUM INHÆSIONIS QVOD, SEU TOTALE* statuimus totum Corpus cum fluidis atqve solidis partibus: *PARTIALE AUTEM SIVE QVO* interveniente subjectum Qvod sive corpus sustinet adjunctum, ponimus Massam Sangvineam humoresqve ipsi connexos. Cùm enim functio naturalis qvoad nutritionem imprimis in Lue V. insigniter lædatur, Nutritio autem omnis fiat, vel à sangvine, vel qvod sub crassamento illo purpureo latet, ipsiqve commixtum est, de qvo *consul. Excell. Bohn. Exerc. Phys. 12. §. 8.* in Massa S. principaliter hæc labes nidificabit. Cùm præterea partes contentæ seu fluidæ qvaqvà versum deferantur, ac nullum statum fixumqve locum habeant, noxam suam universo corpori facile ac brevi communicare possunt. Experimur itaqve simul ac Venenum hoc venereum, sive illud per partes obscœnas, sive per os, sive per cutis poros, sive qvovis aliô modô penetraverit in corpus, malignitatem suam undiqvaqve exserere, continentesqve partes, cutim, membranas, glandulas, car-

nem

nem, viſcerum parenchymata ac ipſa qvoqve oſſa malè mulctare, qvod, cùm nonnunqvam in remotioribus contingat partibus, non niſi per contenta ac imprimis Sangvinem effluentem & refluentem, ad easdem transmitti poſſibile eſt.

§. 5. Qvamvis verò hæc Virulenta Lues in nullis non partibus ſæviat, parsqve primò recipiens, ſedes qvoqve ſit primò affecta, lymphæ tamen ac ſeroſo latici, nec non glanduloſis partibus maximè infeſta eſſe videtur, unde non tantum teſticulis, paraſtatis, proſtatis, partibus mulierum ſecretis, verùm naribus, labiis, palato, tonſillis, mammillis &c. maximum exitium infert; Hinc cum laudato *Sylvio* ſedem veneni Venerei proximiorem in lympha collocandam eſſe conjicio, qvam ita corrumpit, ut acrimoniam rodentem acqvirat, cujus vi deinde tota Sangvinis Maſſa omnesqve alii in nobis reperibiles humores, bilis, Saliva, ſuccus pancreaticus, ſemen atqve Lac inqvinantur, ac ſolidis qvoqve interitus ſtruitur.

§. 6. Confirmat hanc opinionem reliqvum hujus morbi ingenium, dum Sangvinis & ſeri σύςασιν reſolvit, adeoq; degenerem facit, ut ab indole ſuâ blandâ, roſcida ac amicabili planè deflectat, hoſtilemqve acorem ac viſciditatem induat, hinc denſitate ac glutinoſitate in glandulis ſubſiſtit, & in coagulum putrilaginoſum abit. Qvando enim in M. Sm. intravit, ipſum non modò ſangvinem ⊖ium corroſivorum exaltatione inficit, ipſiusqve texturam fæculentiis acribus acidis pervertit, pituitoſis replet, ſed & ſpiritus opprimit, ⊖ia volatilia torpida ac fixa, humorem alibilem, dulcem ac chyloſum viſcidũ ac nutritioni ineptum reddit, motumqve per coagulatorem acidum inhibet. Hinc depauperatô ſangvine ac à craſi naturali depulſo, virium langvor, membrorum marcor, ſpirituum ſegnities, perpetuus mœror ac triſtitia exſurgit. Cùm præterea *dicente B. Schneid. l. 3. & 4. de Catarrh.* Sangvinis per omnem ambitum corporis circumacti conſtitutionem ſingulæ atq; omnes ſeqvantur partes, acrî autem ac malignâ aciditate à lymphâ vitiatâ imbutum diximus, ad Cor delatus ipſius ventriculos gravat, ſordibus acido-acribus parietes vellicat, ipſeqve difficulter rareſcit, ac torpidâ efferveſcentiâ vitalitatis characterem ægrè recipit, qvod *Lower. Tr. de Cord. p. 125.* per oleum Sale ac ſordibus limoſis refertum illuſtrat. Hinc undulans cordis palpitatio, anxietas, mo-

tus

tus nunc vehementior, nunc citatior, nunc tardior, pulsus arteriarum inæqvales, ac à sangvine minus spirituoso animi deliqvia &c. cui fortè causæ ulcera sordida & cava, qvæ *à Fernel. Trincavell. Riverio ac Th. Bartholino* observata in sinistro cordis ventriculo sunt, adscribi debent. Qvod si verò in ipso Sangvinis Occeano malignitas Venereæ labis non circuretur, qvales non tragœdias in cæteris partibus ludet? Hinc *Bonet. Lib. 4. Sect. 9. Anat. Pr. ex Schedis Gesneri* Juvenem adducit, qvi sectus in diaphragmate complures minores, in cavo hepatis ac ventriculo duas cavæ manus instar, ut una alteram attereret, exhibuit pustulas. Cui calculum addit *Joubertus l. de Variol. magn. c. 4. Fern. d. Curat. Luis Vener. c. 4. M. Aurel. Severin. de abscess. p. 278.* viscera qvælibet, nullis exclusis, tàm phymatis, tàm abscessibus, tàm ulceribus fœda referentes. Nonnunqvam dentes ac portiones mandibularum excidunt, gingivis planè absumptis; Qvidam penem perdunt; nonnulli oculos, qvalia Exempla refert *Eustach. Rud. l. V. de morb. occult.* Qvibusdam nasus atqve facies adeò depascitur, ut omnibus & interioribus & exterioribus cartilaginibus exesis interiora faucium horrendô hiatu pateant, *vid. Plat. l. 3. Obs. p. 686.* qvi & ossium tibiæ in utroqve pede spontè confractorum, effluxus it. ichoris aqvosi ac albi è podicè, aliorumqve ulcerum cacoëthicorum *cum Rondeletio, Botall. ac Qvercet.* meminit. Sic *Illustr. Dan. Senn. l. c. ex Georg. Garner. Observ.* refert, qvendam Lue V. laborantem, maleqve restitutum magnam inflammationem palati passum esse, qvâ os cribrosum, sphœnoides, columella & omnes partes vicinæ gangræna ac de hinc cancro corrupta sunt, ut qvotidiè aliqvid ex partibus illis exesis rejiceretur, qvas deinde etiam ipsum cerebrum maximô cum fœtore insecutum. Et ex *Zacut. Lusitan. de Pr. Med. admirab. l. 1. Obs. 49.* robustum virum ex improviso cœcum factum, obortis prius in anteriore capitis parte ulceribus & tumoribus duriusculis. Qvibus analoga exempla addit *Poter. Cent. 1. & 3. Curat.* Verbô tàm latè errat & grassatur hoc malum, ut nulla pars sit immunis. Et qvanqvam non omnes in uno eodemqve subjecto invadat, invehit tamen in aliis, aut invehere potest, nec excrementa seu aliorum morborum fomites fermento suo malignô intacta relinqvens.

CAPUT

CAPUT III.

Causas Immediatam, Mediatas proximiores & Remotiores tradit.

§. I.

CUm tunc demum ſciamus, qvando dicente *Ariſtotele* cauſas rerum cognovimus, proinde ut accuratiorem morbi noſtri ſcientiam hauriamus, cauſæ ejus ordine ſunt evolvendæ.

§. 2. Hæ verò ut eò commodiùs eruantur, ſciendum probè eſt, morbos malignos ac virulentos non unius ejusdemqve naturæ eſſe. Alii enim ſunt *abſolutè tales*, in qvibus principiorum vitalium, Spirituum nempe, ſangvinis ac ſeri vinculum ac combinata proportio violenter diſſolvitur, cruorqve miaſmate venenato tactus, varias coagulationes, putredines ac fuſiones adeoqve maximas inæqvalitates ſuſtinet, horrendaqve Symptomata cum manifeſto vitæ periculo infert; Ad qvorum cenſum febres malignæ, peſtilentiales, peſtis ipſa, purpura maligna, variolæ, morbilli &c. pertinent. Alii verò *ſecundum qvid* maligni ſunt, qvando vel principium aliqvod Sangvinis nimis evectum, vel cæteris improportionatum redditur, vel miaſmate aliqvô malignô, qvod cum *Excell. B. Senn.* totâ ſubſtantiâ activum dico, inficitur, id qvod tamen cùm majori æqvalitate fiat, minusqve violenter agat, Archeus qvoqve minus impetitur ac conſeqventer natura ſucceſſivè tantum à ſtatu ſuo naturali deturbatur, qvibus Scorbutus, lepra Scabies maligna ac noſtra Virulenta Labes accenſenda.

§. 3. Cùm itaqve nemini obſcurum ſit, in noſtra Venerea labe non ſuperficiariam offendi cruoris ſangvinei ac imprimis ſeroſæ partis diſproportionem, qvoad conſiſtentiam & qvalitates reliqvas, periculoſamq; illius à miaſmate maligno ac contagioſo, venereo ſucceſſivam licet, intimiorem tamen læſionem, facilè inducimur, ut eandem tanqvam *CAUSAM IMMEDIATAM AC PROXIMAM* hujus mali admittamus.

§. 4. Qvoad *Conſiſtentiam* qvidem vitiata M. S. deprehenditur, dum materiâ pituitosâ, viſcidâ ac coagulatâ abundat, qvâ teſte *Sylvio §. 49. l. c.* glandulæ mirè diſtenduntur, tuberoſitates, tophi

 ac

ac gummata perioſtiis accreſcunt, motusqve ſangvinis hinc inde ſufflaminatur, unde ulcera atqve bubones originem ducunt. Et unde, qvæſo, cætera ſymptomata, niſi ab hâc lymphæ ac ſangvinis tenacitate? utpote virulenti humoris è genitalibus utriusq; ſexus profluvium contumax, puſtulæ multifariæ, verrucæ, condylomata, oſſiumqve caries &c. Id qvod prolixiſſimè modò laudatus *Sylvius* probat, atqve calculum ipſi addit *Nicol. Maſſa Libr. de M. G. c. 4.* qvi in ſedula inſpectione puſtularum apertarum, nil niſi materiam albam viſcidamq;, qvâ & venæ totius corporis repletæ erant, ſe reperiſſe teſtatur; Imò in iis qvi atrocibus è contracta hac Lue crurum doloribus torqvebantur, ex inciſione tantùm materiam albam viſcoſam perioſtio, juncturis, aliisq; partibus adnexam obſervavit.

§. 5. Peccat qvoqve ulteriùs Lympha atqve Sangvis *acredine;* qvæ, cùm docentibus Chymicis vel ſit ⊖lina lixiva, vel acida, utramqve qvidem admittimus, præſertim qvando ſcorbutica invadit hæc lues ſubjecta, puſtulisqve ac maculis imprimis ſe prodit, primas tamen acrimoniæ acidæ deferentes. Ex hoc ipſo fonte enim viſciditas mucoſa, dum ab acido colliqvatur caro & glandularum compages, conflatur. Hæc *à B. Dn. D. Ettmüll. de Med. Hippocr. Chym. c. 2. §. 8.* furia corporis peſſima dicta, tam atroces ac peſſimos edit effectus. Nunc enim corrodit oſſa tibiarum, narium, palati, calvariæ, dentium, vimqve ſuam ∇æ chryſulcæ inſtar corroſivam monſtrat; nunc feralis inſtar ignis exedit partes carnoſas ac liqvefacit, ſcabiem ſanioſam ac ulcera manantia gignens. Perioſtia, pericranium ac meninges Cerebri vellicat, fixôqve dolore ſenſibiles partes torqvet ubivis. Per arterias emulgentes ad Renes delata ipſorum vaſa ſolvit, ut cruorem fundant, qvi putreſcendo urinam ſanioſam conſtituit. Urina acetoſi ⊖is acredine aculeata, pungendo ureterum, veſicæ ac urethræ membranas dolorem acrem ac ardentem; conſtringendo partium harum fibras, ſtranguriam parit, urinamqve mucoſo liqvamine replet. Ductu arteriarum ſpermaticarum teſticulis invecta, ſemen corrumpit, ut modò lividum, modò viride, modo flavedine putidâ tinctum, viſcoſum odoremqve gravem ſpirans ſponte effluat. Proſtatas, ſeu corpora glandoſa, in qvibus conſentientibus *Veſalio, Spigelio, Highmoro, Graaffio, Warthon. Rolfinc. & Th. Bartholi-*

no

no pori ſeu tubuli qvidem in urethram deſinentes conſpiciuntur, humorem oleaginoſum, lubricum & pingvem, ad meatum urinarium illinendum, qvamdiu naturaliter ſe habent, effundentes excedit, ac acredine ſuâ imbuit, ut gonorrhœæ virulentæ dictæ perpetua ferè ſedes ſint, qvod ex abſceſſibus illorum, Recentiorum obſervatione in iis, qvi Gonorrhœâ obiêre, innotuit. Adeoqve humor ille continuò deſtillans, non tàm ſemen eſt, qvam mucoſum phlegma ab iisdem ſecretum. Teſtibus muliebribus transmiſſa pari modo per tubas Fallopii liqvamen corruptum, aut per foramina uteri ac vaginæ juxta *Regn. de Graaf.* humorlentus transſudat, acrimoniâ ſuâ obvia qvævis corrodens, *vid. Hild. Cent. 1. Obſ. 10. Euſtach. Rhud. l. 5. d. Morb. occult. & Laz. River. Cent. 4. Obſ. 91.*

§. 6. Nunc verò porrò diſpiciendum, qvô mediô hæc improportio ac acrimouia, tanqvam cauſatum, qvod ab alio per influxum cauſalem ſuum eſſe habet, in M. S. introducatur. *CAUSAM ITAQVE MEDIATAM PROXIMOREM* ſtatuo, miaſmata, qvæ Græcis *νοσεραὶ ἀποκρίσεις, ἀπόῤῥοιαι* & *σπέρματα* dicuntur, maligna, venenoſa, fermenteſcibilia, ſummè hinc activa, ac in alio corpore ſimilem morbum excitare apta.

§. 7. Dum autem maligna atqve venenoſa dico, peculiari ſale acri-acetoſo volatili ſimul prædita volo. Qvemadmodum enim dantur ſpecifica facultate agentia medicamenta, ita ut alia hoc acidum, alia illud aggrediantur, qvare occ. 69. Stranguriæ magis conveniunt, os ſepiæ gonorrhœæ, ⊖ vol. mandib. lucii piſc. ac dens eqvi marini pleuriticis &c. qvod prolixiſſimè ex mente tàm veterum, utpote *Hippocr. Lib. II. de morb. Galen. l. 7. de Medic. facult. Dioſcor. l. 1. c. 186. Plin. l. 23. Hiſt. nat. c. 3.* qvàm Neotericorum, *utpote Parac. Borrich. Tr. Herm. p. m. 355. Helmont. Tr. Aur. vital. it. Lib. de Lithiaſ. c. 3. de Medic. poteſt. §. 12. & 13. Hoffmann. Comment. in Schroëd. lib. V. ſect. 1. p. m. 669. & ſeqv. Experientiſſ. Dn. Ludovic. Illuſtr. Boyl. Chym. ſcept. p. m. 227. Tackii Tr. de Reſurr. nec non Febure Gall.* diductum *vid. in diſp. mea de ⊖ ♀r. vol. coagul.* Sic dantur qvoqve ejusmodi poteſtates morboſæ, qvæ hunc & non alium morbum excludunt. Veneni autem atqve malignitatis nomine mihi venit, qvicqvid in corpus noſtrum impingens temperiem

& actiones cujusvis partis aut totius occultô modo secundum Veteres & vehementer lædit, vel juxta Recentiores liqvorum mixtiones solvit, viscerum fermenta destruit ac aberrantes effectus producit. Qvos omnes cum ad acrimoniam acidam retulimus, perq; varia producta demonstravimus, qvivis ab effectu ad causam argumentabitur.

§. 8. Dari autem ejusmodi virtutes specificas morbosas, qvæ seu à Forma, seu Natura, seu ab Archeo, (qvi certô modo figuratas particulas secundùm ductum idearum à DEO cuivis semini inscriptarum dirigere creditur *vid. Helm. Marc. Marc. & David.* van der *Beck,*) seu Ideis operatricibus deriventur, multis rationibus probari potest. Manifestum enim satis, non unam omnibus convenire agendi potestatem, sed effectus provenire à se multùm differentes. Nam aspidis morsu, qvô adeò exiguum vulnus infertur, ut vix sub aciem oculorum cadat, celeberrimè virus totum corpus pervadit, atqve intra breve spacium hominem è medio tollit; accidunt demorso capitis gravitas, oculorum caligo, refrigeratio, oscitatio crebra, spasmi, convulsio. A Ceraste demorsis sanies è vulnere manat, modò pallida, modò nigricans, pustulæ exoriuntur lividæ, labia intumescunt, mens alienatur, circa inguina & poplites dolor, genitale intenditur. Ab hæmorrhoo sangvinis profluvium causatur, non solùm eâ parte, qvâ læsio facta, aliisqve sangvinis fluxioni consvetis viis, naribus puta, utero &c. Sed etiam per loca planè insolita, ut per aures, oculorum canthos, ungvium radices, os, anum, qvin & corporis poros & cicatrices. Morsus Sapedonis solam carnem citissimè putrefacit, ut tota absumatur & frustulatim decidat. A Dipsade sitis implacabilis; à cane rabido hydrophobia causatur. Hinc *Athanas. Kircher. in Scrutin. Pest. Sect. 1. p. m. 97.* meminit pestis cujusdam, cujus virus contagiosum in omnibus solos oculos infestavit; alîus aliô tempore, qvod gutturis cavitatem invasit. Sic Venetiis teste *Mercuriali l. d. Pest.* Anno 1617. post diuturnam tempestatem pluviosam, in armentis boum Lues qvædam sæviit, qvâ repentina putrilagine in faucibus conceptâ suffocata peribant pecora. Huic non absimile erat illud contagiosum virus, qvod præterito anno hôc ipsô autumnali tempore pecudum greges involabat, qvibus paucis interve-

nien-

nientibus horis lingva tàm profundo ulcere exedebatur, ut sæpius penitus decideret. Læsiones qvidem utrinqve manifestæ, sed cur nunc hæc pars, nunc alia, nunc totum corpus, nunc actiones, qvæ in ipso fiunt, lædantur, est obscurum. Non ignoro qvidem antea laudatos Autores ad Archeum, Ideas atqve diversas conditiones corpusculorum minutorum, ac particularum ⊖narum mechanicam, in specie determinatas eorum figuras, magnitudines, & hinc exurgentes diversas motiones confugere, sed cum ipsô dicente *Marco Marci*, nobis cognitione intuitivâ uti non liceat; Cartesianarum autem particularum insensilium figuræ conceptibus tantùm ipsorum innitantur, ac mathematicâ certitudine vix demonstrabiles sint, nolo easdem asserere, tantùm mihi temperans, ut æqvô animô ignorare velim.

§. 9. *Paracelsus l. 2. Paramir. de Orig. Morb. & trib. prim. subst. c. 4.* inconstans est, ac ☿io partim, tanqvam substantiali corporis nostri principio id tribuit, dicendo eum à calore adeò subtilem reddi, ut à ⊖e & 🜍e se includi ac coerceri amplius non patiatur; partim ⊖ibus, qvorum corrosivitati, resolutioni, fusioni & corruptioni ulcera seu in Lue ♀ea, seu aliis ejusmodi affectibus inducta, adsignat. Si per ☿um subtilisatum acidas particulas volatiles intellectas velit, nos non adeò adversos habebit. *Helmontius* volatilem qvidem spirituositatem, dum odoris instar affigi possit partibus nostris, ipsi concedit, sed cujus ille odor, sive aura naturæ sit, reticet, fermentoqve duntaxat venenoso adscribit. *August. Hauptmann. & Athan. Kirch. Scrutin. pest. nec non Christ. Langius* præsuppositis suis opinionibus (1) morborum omnium causam abditam ac latentem qvandam humorum putredinem esse. *(2)* originem suam, qvemadmodum omnium aliarum rerum corruptiones, à vivente trahere, *(3)* ad dispositionem in vivens animari, *(4)* pro varia humorum malignantium dyscrasia, varium virus, diversasq; in agendo facultates acqvirere, ad vivam mortis Imaginem seu animatam putredinem adjungunt.

§. 10. Sed cùm nudis hisce terminis natura nostræ malignitatis venereæ non pateat, penitiùs fortè ipsius essentia explicata per peculiarem acrimoniam acidam erit, cujus existentiam varii ef-

fectus demonstrant. Eandemqve ulterius Juvantia & Nocentia, à qvibus qvoqve potissima sumitur indicatio, detegunt. Saluti enim ægrorum optimè consulimus, qvando Alcalia volatilia, vel fixa, vel Alcalina in medicatione adhibemus, qvalia sunt Sp. CC. vel simpl. vel succinat. Esl. viper. Sp. ⊖ ✱ci, lignor. ⊖ia vol. CC. viper. fl. ⊖✱, ♁um diaph. Bez. mineral. Cinnab. ♁ii, CC. ppt. oc. 69. ▽ sigill. ut & ⊖ia lixiva fixa è plantis per combustionem elicita &c. Cùm itaqve omni acido opponatur, contrarium Alcali atqve ipsius Spiritus volatilis; Curationesqve morborum per illa, qvæ causas ipsorum destruunt, fiant, hæ omnes medicinæ aut absorbendo infringant acidum, aut contemperent, aut adjunctam materiam viscidam incidant, mucumqve abstergant, rectè adhiberi ex *Petr. Fabr. Chym. Spagyr.* & *Bernh. Swalb. d. Alc.* & *Acid.* ac de præsentia acidi corrosivi testari concludimus. E contrà pingvedines oleosæ acidæ, uti affirmante *Felic. Würzio* omnibus tùm ulceribus, tùm vulneribus inimicæ sunt, sic ulcera ♀ea augent, effervescentiis majoribus ansam dant, Sangvinem incrassant, corrosionesqve deteriores reddunt. Excipio tamen olea aromatica, ⊖ibus volat. alcalinis proficua. Et qvamvis etiam in curatione acida adhibeantur, id eâ ratione fieri, qvâ acidum acidi alterius destructivum existit, arbitror.

§. 11. Restat nunc, cùm fatentibus ferè omnibus Medicis, hodienum per solùm Contactum, qvi *Causam Procatarcticam constituit*, tanqvàm traducem unicè propagetur Venerea Lues, qvot modis ista in alios transilire possit, explicare.

§. 12. Generatur autem communissimè per concubitum impurum, in qvo mas à muliere, & mulier à mare hâc labe conspergi potest. Et mulier qvidem, si vir vel ulcera ♀ea in cole gestat, vel gonorrhoeâ virulentâ laborat, aut seminia mali in M. S. latitant, virus portio illa foventis facilè in vulvæ aliqvâ parte tùm interiori, tùm exteriori hæret, in qvibus sæpenumerò similia ulcera excitat, cuti se affigendo aut cuticulæ partes istas investienti. Nonnunqvam etiam altiùs radices agit illud, ac per tubas uteri testibus, sive *Kerkringii* ovario humano se insinuat, materiæ viscidæ, purulentæ ac virulentæ profluviô, qvod non rarò cum fluore albo confunditur, notabile, ac deinde aut per venarum spermaticarum

ramos,

ramos, qvorum major ad testes abit, ac corpus varicosum cum arteriis constituit, minor in uterum desinit; aut per vasa lymphatica, qvæ cum vasis Spermaticis conjuncta ac ex utero prodeuntia probat *Warthonus, Glissonius & Rudbeckius;* ac in testibus *Rolfinccius, Borrich. Riolan. Zassius* observarunt, ac *Th. Bartholin. de Morb. lymphat.* fusius demostrat, Massam sangvineam intrat. Qvâ ratione etiam infans in utero conclusus hâc ipsâ labe conspurcari potest, qvod à *Formio Obs. 26. ac Joh. Rhod. Cent. 3. Obs. 83. notatur,* materiâ nimirum per vasa Umbilicalia ad ipsum translatâ. Vir autem dum aut raram, fungosam ac spongiosam penis, ac imprimis duorum corporum nervosorum substantiam ingreditur, ac dehinc cum Sangvine, qvi *Regn. de Graaf. Tr. d. Vir. Org.* aut Sangvine & Spiritibus, qvæ *Th. Bartholino* erectionem penis causantur, in M. S. resorbetur; aut dicente *Helm. c. l.* libidinis actu usqve in testes attrahitur, qvod statim principia sua evolvit, miasmata in motum rapidiorem agitat, ad partes reliqvas amandat, gonorrhœam, carcinoma atqve bubones venereos excitans.

§. 13. Ad hanc communiorem contactus speciem, aliæ qvoqve *immediatæ* adhuc pertinent, utpote oscula, qvando partibus oris mollibus, raris; labiorum lingvarumqve morsu, mediante Saliva, aut ulcere circa orâ venereô se insinuat; aut qvando ab infante spongiosis lactantis nutricis papillis suctione incalescentibus sub impura itidem salivâ suppeditatur. Pari qvoqve modo in ipsum tenellum fœtum à nutrice conspurcata, aut mammis ipsis, aut contento lacte transfunditur, qvalia exempla refert *Riverius Cent. 1. obs. 91. cent. 2. obs. 95. & Cent. 4. obs. 91.* Cùm enim malignitas hæc, qvemadmodum in antecedentibus dixi, imprimis in humoribus Massæ S. confusis niduletur, mutationes autem humoribꝰ impressas nutrices infantibus communicent, qvod ex assumpto pharmaco purgante palam est, atqve me paucis abhinc diebus experientia edocuit, ubi mater febri qvartanâ correpta in lactentem infantem eandem febrem iisdemqve periodis affligentem transfudit; qvî fieri posset, qvin non per laticem morbus hic in insontem pusionem transmigraret. Qvandoqve etiam virulenta hæc Lues per accubitum, sudorem & effluvia insensilia, ac ipsum aërem exspiratione emissum concipitur, qvæ licet qvantate vix sensibili gaudeant, po-

tentia

tentiâ tamen ac virtute tanta ſint, ut corporis intima pervadere, humorum maſſam inficere, ſerpendo augeri, corpusqve ad multifarias excentricitates diſponere valeanr.

§. 14. Superſunt adhuc aliæ contactus ſpecies, qvæ mediis qvibusdam interjectis ac communione materiali Luem hanc ſuccedaneam habent, *Mediatæ* ideoqve dicendæ: Ex. gr. ſi lue inqvinatus calicem exhauſerit, alius eodem mox utatur, ac forte labiis admoveat locum, cui qvippiam virulentiæ malignæ adhæſit, ſæpiùs evenit, ut illicò ſimilia in ore ulcera prodeant, partesqve l. ſuperficietenus tantùm allambendo, vel ſubitò Luem univerſalem invehendo inficiat, præſertim cùm Salia inibi concepta idoneam volatilitatem ac penetrandi vim nacta ſint, ut vaſa ſubire valeant, ac in viis tranſitus veſtigia vix relinqvant. Simile qvid accidit iis, qvi Lue hac corripiuntur, eò qvod in cubili decubuerint, aut inſtratis linteaminibus, veſtibus uſi ſint, qvibus ſudor ac ἀπόῤῥοιαι virulentæ adhæſerunt. Nihil qvicqvam enim refert, qvomodocunqve contactus fiat, dummodo adhæſio aut ingreſſus cujuspiam portionis luis accedat, id qvod ſ. directè ſ. indirectè contingat, nihil impedit. Qvandoqve enim adeò clàm ac latenter irrepſit, ut nec ipſis infectis, qvomodo contraxerint, innoteſcat.

§. 15. Qvocunqve autem modo ac via hoſtilia hæc miaſmata corpus adoriantur, à vaſis lymphaticis, ſangviferis aliisqve excepta cum humorum Maſſa ſe connectunt, vitioſum ſuum characterem eidem imprimunt, functionesq; turbant. Et qvamvis non ſtatim dyſcraſiâ morboſâ ſe prodant, nec in fera ſymptomata erumpant, tractu tamen temporis cum tacitâ fermentatione incrementa capiunt, ut modò totius cutis diſcoloratio, ſæpè exanthematum & bubonum eruptio, hujus aut iſtius partis exeſio ac lenta demum mors ſeqvatur. Fermentando enim humores in ſui venenatam naturam convertunt, ut ſalutem corporis amplius non tueantur modò, ſed aperta belli vi aſtuqve expugnent.

§. 16. Ne autem longior ſim, qvam pagellarum harum paucitas capiat ad *CAUSAS MEDIATAS REMOTIORES* paucis devenio. Inter qvas primus locus à qvibusdam *SUPERNATURALI* defertur, putantibus cum *Rabinis* non eſſe mortem absqve peccato, nec caſtigationes absqve delicto. Cùm enim

nim viderint hæc mala ſcortatorum ac pesſimorum proſtibulorum mercedem eſſe, pietate inducti ſunt peculiare vindictæ divinæ genus credant, qvo DEus omnium ſcelerum ultor, ſceleſtam hominum libidinem compeſcere voluit, qvemadmodum Lepram pro certa qvadam pœna in Republica Judaica conſtituerat. Ad qvam ſententiam *Excell. Dn. D. Præſes* etiam inclinare videtur. *Conſul. Helm. c. 1. p. 155. & 156.* qvi fuſius de hoc agit.

§. 17. *NATURALES* ſunt *TEMPERAMENTUM*, qvod tanqvam antecedens diſpoſitio corporis cauſarum morbificarum energiam inſigniter promovet. Cùm autem viſciditatem Acidum ♀eum in maſſam ſangvineam inducat, inqve generata ſe libenter abſcondat, Pituitoſi, melancholici ac cacochymici, in qvibus ob materiam viſcido-mucoſam particulæ oleoſæ balſamicæ obtuſiores ſunt, ſpiritibusqve impuris ac imbecillibus materiam hoſtilem arcere ac ſubigere minus valent, facile huic morbo commodum diverticulum præbent, tantoqve difficiliùs curam admittunt. *ÆTATIS* qvoqve nullam rationem habet, cùm Embryonem in utero, infantes ac imprimis juvenes æq; corripiat; Nec *SEXUM* excludens, fœmineo tamen ob ſeroſiorem ſtatum ſangvinis locaq; ad recipienda miaſmata aptiora infeſtius. Non adeò expeditè autem langvidum, ob deficientem ſpirituum ἔκλαμψιν, ſenum *teſte Fallop. c. 22. d. M. G.* ſuccendit ſangvinem. Huc trahenda qvoq; *DISPOSITIO HÆREDITARIA*, qvatenus virulenta hæc miaſmata cum ſeminio traducuntur ac fermenti venenoſi characterem in fœtu ſigillant, inſontemq; aggrediuntur. Vid. *Williſ. Tr. de Scorb. c. 2. p. 152.*

§. 18. Ex *NON-NATURALIBUS AER* qvoqve ſymbolum ſuum addit, dum aut nimiâ caliditate poros cutis dilatat, ut incongruo advenæ aditus detur; aut excesſivâ humiditate ac frigiditate cruditates invehit, ac conſtipatione pororum morboſorum vaporum διαπνοὴν inhibet, ut diſpoſitionem putredinoſam concipiant majorem. Qvid de *INFLUXU ASTRALI*, ubi in conjunctionem Saturni, ♂tis & ♀is in ſcorpione, aut eorundem Planetarum cum retrograda ♀e congreſſum, mali hujus proventum conjiciunt *Cataneus, Maſſa, Fracaſt. ac Proſp. Borgarut.* ſentiendum ſit, adi *Helm. Tract. Aſtr. neceſſit. non incl. & Tum. Peſt. c. l.* *CIBUS*

& concoctu difficilis,ut carnes fumo induratæ; crudus,ut legumina, olera; humidus,ut fructus horarii; viscidus ac mucidus,ut pisces &c. nimisqve calidus; *POTUS*, si non benè fermentatus, defæcatus, itemqve acescens, aut nimis Saccharatus & ad auctionem & inductionem hujus mali valebunt. De *SOMNO* & *VIGILIIS*, *MOTU* ac *QVIETE*, *RETENTIS* ac *EXCRETIS* idem habe. Qvodvis tamen eorum excedens aut intermissum, uti variis alterationibus corpus obnoxium facit, ita morbo huic fomitem & suppeditare atqve iterum detrahere valet.

§. 19. *CAUSÆ* deniqve *PRÆTERNATURALES* qvanti hic sint momenti citatus sæpius *Helmontius* animadvertit, dum qvoscunqve manifesta vel occulta habeant qvorumcunqve morborum initia, Luem facilè contrahere ac diversis morborum larvis associare se posse dicit. Scorbutici itaqve præ cæteris, melancholici, Hypochondriaci ac febribus diuturnis afflicti, nec non Cacochymici, qvorum particulæ balsamicæ Oleosæ depressæ, ♀eæ vero cum ⊖inis acetosis, austeris exaltatæ, impuritatibusqve excrementitiis obsessæ, uti corpora ad luis hujus accesionem prædisposita habent, ita inqvinata eâdem majora incommoda ac crudeliorem stragem persentiscunt.

CAPUT IV.

Differentias ac Signa exhibet.

§. 1.

ETsi Lues Venerea unam eandemqve semper agnoscat causam, varias tamen differentias ac gradus admittit, qvorum ratione & Signa & curatio variat.

§. 2. Ratione Præcipuorum *symptomatum* enim alia *dolorosa* constitui potest, qvæ dolore plerumqve ostocopo, utpote tibiarum, crurum, brachiorum, homoplatarum, scapularum &c. imprimis circa noctem sævit; alia *ulcerosa*, qvando corpus vel ipsius partes pustulis, ulceribus, bubonibus, scabie &c. deturpantur; alia *nodosa*, qvando gummata, tophi, tumores duriusculi ac fungosi periostiis membrorum accrescunt; ad qvas etiam *Cariosam* si addidero, qvâ ossa confringuntur, ut frustulatim decidant, non fortè errabo.

§. 3.

§. 3. Ratione *Subjecti* est vel *Universalis*, qvando totâ massa Sangvineâ infectâ in solidas ac liqvidas, continentes ac contentas corporis partes malignum suum virus evomuit; vel *Partialis*, cujus materia iis adhuc inhæret partibus, qvæ curationem singularem per remedia particularia externa vel topica & interna specifica concedunt, ut Gonorrhœa virulenta, ulcera in partibus obscœnis, oribus &c. Germina enim sunt attactus impuri ac materiæ luis impressæ, cujus affectus æqvè se produnt, etsi adhuc membris particularibus infixa sint, ac cùm per totum corpus virulentia diffusa est. Particularis enim, qvando cura negligitur, nec adhærentium in parte qvadam virulentorum corpusculorum ingressus ac insinuatio intimior arcetur, ope remediorum specificorum, Luem tandem, cui universalis nomen indidi, inducit, vasa nimirum sangvinem ac lympham continentia subeundo, ac mediante sangvinis circulo per universum corpus se diffundendo.

§. 4. Ratione *Causarum* & *modi Contagii*, alia est *Hæreditaria*, qvando illius causa, aut cùm ipso humore seminali, aut sangvine in sobolem derivatur, ac characterem suum fermentativâ exaltatione explicat; alia *acqvisita*, qvando per varios ac inexplicabiles ferè contactuum modos, de qvibus in superioribus actum, acqviritur.

§. 5. *Temporis* ratione, qvâ morbi principium, augmentum, statum ac declinationem eruimus, dispescitur, in *Incipientem augescentem*, *inveteratam* ac *declinantem*.

§. 6. Ratione *moris*, alia *mitior* est, alia *gravior*, qvod vel ab ipso robore naturæ ejiciatur peregrinus hospes, aut supprimatur, aut expugnatâ naturâ potestatem suam violenter exserat, id qvod etiam ipsius fermenti peregrini plus minus maligni ac activi ingenio adscribendum. Certum enim satis est, deteriùs multò reddi venenum, ac proinde penetrandi vim majorem acqvirere, magisqve noxium evadere, si in vetustatem abierit, ac per immutationem variorum subjectorum vires exaltando sumserit.

§. 7. Ratione *Accidentium*, alia *Solitaria* est, qvæ solùm per Symptomata sibi ipsi symbolica ac propria v. gr. Cachexiam, pilorum defluvium, dolores, ulcera, &c. suam ludit tragœdiam.

Comitata alia, qvæ alios morbos v. g. diarrhœam, febres, affectionem hypochondriacam, Scorbutum & id genus alia connexa habet.

§. 8. *SIGNA* qvorum ope de morbo hoc pessimo judicium ferimus, numerô plurima qvidem sunt, nos tamen brevitatis studio dividimus in ea, qvæ ab ægris tantummodo agnoscuntur, & ea, qvæ tùm ægris, tùm Medicis sensibilia sunt.

§. 9. Desumuntur autem utraqve vel *à Causis*, qvorsum pertinent impurus concubitus cum scorto l. alio infecto, oscula, suctio lactis per mammas, exceptio sudoris & contagiosæ transpirationis, usus promiscuus vasorum, & omnia ea, qvorum in superioribus mentionem fecimus; vel *ab essentialiter inhærentibus*, utpote malignitate affectuum, ulcerum puta, dolorum, tumorum ultra sphæram ordinariam ac citra manifestam causam aliam sese exerentium, qvæ etiam malignitas unicum *Pathognomonicum Signum* exhibet. Pro remissione & gravitate etiam horum Symptomatum, nunc imminentem, nunc augescentem, nunc inveteratum innuunt morbum *Vel ab essentialiter conseqventib9*, qvalia sunt varia symptomata (1) *Actionum læsarum* v. gr. *animalium* gravitas capitis, in humeris, dorso, sterno, brachiis, pedibus, omnibusqve articulis perpetuus ac circa noctem exacerbatus dolor, tremor, langvor, lassitudo. Qvidam convulsiones, paralysin, vertiginem, ophthalmiam, cæcitatem, tinnitum aurium, priapismum, satyriasin, aliaqve gravia accidentia sustinent; *Vitalium*, Syncope, palpitatio cordis, respiratio difficilis, febris hectica, asthma, Peripnevmonia, tussis, empyema, pulsus irregularis, langvidus, debilis, undulans &c. Et *Naturalium*; hos enim nausea affligit, alios vomitus exercent, illos appetitus prostratus; Chylificatio læditur, cachexia totius corporis ingravescit, corpus atrophiâ tabescit, pristinumqve vigorem perdit. (2.) *Excretorum*, Urinæ aculeatô dolore saniosæ, cruentæ, diversicolores, nunc tenues, nunc turbidæ, nunc oleaginosæ, nunc lividæ, nunc mucoso sedimento, nunc frustulis, nunc arenulis refertæ visuntur; Cutis maculis ac pustulis serpentibus defœdatur; semen instar putidi liqvaminis profunditur; Sudor fœtidus, flavescens, acidumqve spirans notatur. (3.) *Qvalitatum mutatarum*, sic oculi livorem contrahunt, obscurantur, facies pallescit, livescit, dentes denigrantur, totumqve corpus mutatur.

§. 10.

§. 10. *PROGNOSIS* ex differentiis & signis facilè de unoqvovis subjecto institui potest. Qvod si enim altas jam egerit radices, actionesqve plures læsæ deprehendantur, æger ingenti symptomatum graviorum congerie divexetur, Labem hanc per diuturnum tempus contraxerit, majus omninò inde imminet periculum, & si ad ultimum gradum evecta sit, ac non tantùm humores & spiritus, sed & ipsa ossa partesqve solidas ac viscera principaliora invaserit, incurabilis ut plurimum esse, ac lento gradu exitium struere consvevit, *vid. Senn. c. l. c. 7. Rolfinc. Ord. & Meth. Comment. l. 6. Sect. 3. aliosq; Practicos.*

CAPUT V.

Curationis Methodum ac Auxilia ostendit.

§. 1.

CUm autem Medicus non ultimatò subsistat in contemplatione sed ideò contempletur morbos, ut ipsis secundum indicationes certas Indicatis seu auxiliis aptis medeatur. Curationem nostri crudelissimi morbi aggredimur, à qvatuor indicationum generibus dependentem, *Curatorio* sc. qvod morbo, *Præservatorio*, qvod omnibus causis morbificis; *Mitigatorio*, qvod Symptomatibus urgentibus, & *Vitali*, qvod eorum, qvæ secundum naturam sunt conservationi, ideoqve *Conservatorium* dictum, prospicit.

§. 2. Auxilia autem seu indicata scaturiunt è triplici fonte, *Chirurgico, Pharmacevtico & Diætetico.* *CHIRURGIA* enim huic affectui *Venæsectione* non modò succurrit, dum qvantitatem sangvinis excessivam minuit, intemperiem & spissitudinem corrigit, stagnationem in motum citat, influxum in partem revellit, intercipit, alioqve derivat. Non itaqve video rationem, cur in hac Lue curanda eam planè rejiciat *Maynwaring. c. l. c. 11. p. 107. seqq.* Remedia qvoqve ex fonte pharmacevtico deprompta, non æqve feliciter adhiberi possunt, nisi universalia ejusmodi præmittantur auxilia, utpote sudorifera & salivatio ☿alis, in qvorum tamen legitimo usu totius curationis cardo versatur. Institui potest in brachio l. pede pro scopi exigentia; ipsam qvoqve in pene perficiendam, si adsit in pudendis caries l. gonorrhœa, admittit *B.*

 Senn.

Senn. c. l. c. 10. Hujus vicem nonnunqvam, in qvibus ob vires imbecilles non licet, *cucurbitulæ* cum l. sine scarificatione, *l. Hirundines* supplebunt. Sic *frictiones* cum linteaminibus calidis sordium mucorem paululum attenuant, porosqve diducunt, ut miasmatibus ♀eis exitus paretur, sangvisq; torpens motum suum recuperet. *Cauteriis* qvoqve actualibus & potentialibus morbifica semina non modo destruuntur optimè, sed & serum ichorescens miasmatibus venereis torpidum per *fonticulos* ac *Vesicatoria* exantlatur.

§. 3. *CHIRURGIAM INFUSORIAM* commendant *Bonet. Anat. Pr. l. 3. sect. 10. obs. 6. & Excell. Ettmüll. Tr. de Chir. infus. c. 1. §. 5.* atqvè exemplis illustrant, qvibus in inveterata cum ulceribus tibiarum & brachii, doloribus capitis cum gummatibus pluribus resin. Scammon. gr. vij. in Ess. lign. Gvaj. ad ʒiij. infusa tantùm profuerunt, ut brevi symptomatum mitigatio ac integritas ægro sit reddita.

§. 4. Sed cùm tanto hosti debellando imbellia hæc omnia sint, ad magis appropriata, specifica & generosiora auxilia *PHARMACEVTICA* confugimus, desumentes ex iis *Præparantia* seu *Digestiva* qvæ lymphæ, seri ac cruoris reliqvi coagulum ab acido viscido corrupto liberant, incidunt, attenuant, resolvunt, atqve ad eliminationem commodiorem disponunt. Eminent ex his ⊖ina 🜿ea, Alcalina & Alcalia, tàm sicca, qvàm humida forma propinata, uti sunt ⊖🜿r. 🜿rus ⊕latus, ▽ fol. 🜿r. 🜿rus 🜿satus, Arc. dupl. Mynf. fl. ⊖✱. Tinct. ⊖🜿r. ☿ij 🜿sata, Ammelung. Clyss. alcalic. Sp. 🜿r. vol. ⊖ ✱ci vel simpl. l. aromatico-Oleosus; ⊕; ♂alia it. Croc. ♂t. aper. Tinct. ⊕l. ♂t. Zvvelff. oc 69. carall. antim. diaph. & Aromatica utpote rad. ar. Zedoar. irid. flor. garyoph. lign. aromatic. & omnia ⊖e alcalino volatili prædita; Resinosa it, ut myrrh. ac maximè ipsius Tinctura 🜿sata, Elix propr, Alcal, gumm, Galb. Ammon. ac horum essentiæ. v. g.

℞. Arc. dupl. Mynf. ʒß. 🜿r. ⊕lat.
Pulv. rad. ari ppt. āā. ℈ß. M. S.
Digestiv-Pülverl. auf 2. mahl.

℞. Pulv. rad. ar. ppt. ℈ij. 🜿r. 🜿sat. ʒß.
fl. ⊖✱. gr. vij. Ol. still. garyoph. gt. ij.
M. S. ut supr.

℞. Sp.

℞. Sp. gumm. ammon. c. V. par. ʒij.
⊖✱. Saſſafraſſat. ℈iv. M. S.
Zertheilenter Spiritus auf etliche mahl.
℞. Tinct. Myrrh. ♀ſat ʒij. Eſſ. lignor. ʒiß.
M. S. Tinct. auff etliche mahl.

§. 5. Materiam hâc ratione præparatam ejicimus vel *Vomitoriis*, imprimis qvando materia viſcida, craſſa ventriculo ac primis viis adhæret, qvalia Antimonialia, ♁lata, ♀ea præbent, uti ſunt Croc. metall. fl. ℥ ij, vitr. ac ♁. ℥ ij, ♀rus emet. Mynſ. Sap. Vomit. Sylv. Gilla Parac. ♁lum vomit. Sal. ac Magiſt. gumm. gutt. v. gr.

℞. ♀r. emet. Mynſ. gr. iij. pulv. hepat.
rub. gr. ij. Ol. ſtill. fœnic. gt. j. M. S.
Brech-Pülverlein auf j. mahl.
℞. ♁l. alb. vomit. Sal. gr. XXV.
Magiſt. gumm. gott. gr. IV.
Ol. ſtill. mac. gt. j. M. S. ut ſupr.
℞. Infuſ. vitr. ℥ ii ſ. ☿ii vit. c. V. alb.
& per filtr. dupl. traject. ℥j. Sir.
violar. ʒj. M. S. Brech-Wein auf j. mahl.

Vel *Purgantibus*, qvæ fermentatione ſuâ coagulum non modò diſſolvunt, ſed eductione materiæ ſeroſæ ac viſcidæ hoſtem intus latitantem ſimul ejiciunt, qvalia ſunt imprimis Phlegmagoga ac Melanagoga, ut Mechoacanna, Gialap. Agaric. Turbith, Euphorb. Sagapen. Ammon. Colocynth. imprimis, qvam cum *Helmont. Dn. D. Michael.* unicum ac præcipuum Luis Venereæ ſolatium dicit, ☿us dulc. turpeth. mineral. atqve Compoſita, ut Pil. ♀eæ Bont. Schröd. Qverc. de ſuccin. Crat. de Sagapen. Euphorb. & Gumm. ammon. Extr. panchym. Croll. Hartmann. pulv. phlegmag. Salæ &c.

℞. pulv. rad. Gialap. ℈j. Arc. dupl. Mynſ. gr. Vj.
Scamm. ♁r. gr. IV. Ol. ſtill. fœnic. gt. ij.
M. f. pulv. S. abführendes Pulver auf j. mahl.
℞. Turbith. gummoſ. gr. Vij.
Reſin. rad. Gial. gr. iij.
♀r. ♁lat. gr. Vj. M. S. ut ſupr.

Conſ.

℞. Conf. rof. ℥j. ☿. fubl. dulc. gr. XV.
ad ℈j. pulv. rad. Gialap. gr. Viij. c.
Sir. rof. f. B. S. Purgier-Zucker.

℞. MP. de Succin. Crat. de Sagap.
ãã gr. Viij. refin. Gialap. g. Vj.
Eff. ♁ij q. f. M. f. l. a. Pil. S.
Purgier-Pillen auf j. mahl.

℞. Extr. panchym. Croll. ℈ß. ☿ii dulc.
gr. XV. c. Eff. l. gvajac. f. l. a.
Pil. S. ut Supr.

℞. refin. Gialap. l. Scamm. c. Amygd.
dulc. excort. prob. fubact. g. Viij.
▽ fumar. fœnic. ãã ℥ij f. l. a.
Emulf. add. Julep. fl. Sambuc. ℥ß. S.
Purgier-Milch auf j. mahl.

℞. fol. Senn. Alex. f. f. ʒiß. rad. Mechoac.
alb. pond. ʒj Turbith. gummof. ℈j.
⊖ ♀r. gr. IV. Præpar. infund. in f. q.
△. Cichor. & V. alb. ãã ftent pernoct.
in infuf. manè leviter ebull. Colat. ℥iij.
add. Mann. tabul. Sir. rof. fol. ãã ʒj. S.
Purgier-Tränckflein auf j. mahl.

Infignis qvoqve ufus erunt pituitam glutinofam corrigentes Pil. *Sylv.* ac ipfius hydragogicæ *L. 1. Pract. p. 271.* §. *102.* defcriptæ.

§. 6. Cùm autem malum hoc per primam corporis regionem ejici totum non poffit, fed Sangvinis, qvoqve ac humorum penetralibus fe mifceat, ex iisdem qvoqve exturbandum *Diaphoreticorum* ac *Diureticorum* ope ; Utpote penes qvæ maxima vis venenis venereis refiftendi ac fermentum illorum malignum penitus evellendi refidet, *vid. Frid. Hoffmann. Meth. med. l. 1. c. 11. p. 164.* Eligenda autem maximè funt Specifica, ac *è Diaphoreticis* qvidem Antim. diaph. pulv. antim. fix. Valent. Bez. min. ♂le, ♃le, ☉re, ☽re, Cinnab. ♁ij, Magift. ejusd. Cnoef. ☿us diaph. Magift. & ⊖vol. viper. CC. ut & utrorumqve Sp. volatiles, Sp. Theriacal. camph. Sudorif. Schneid. ⊖✱ci, cum lign. gvaj. deftill. ⊖ lign. Gvajac. Scord. fl. ⊖✱. Eff. lignor. Tinctur. ♁ij, refin.

Gvajac.

Gvajac. cum Sp. V. ♀sat. par. Bezoard. D. Mich. camph. Diasc. Fracast. Sylv. Theriac. Extr. Antiven. Poter. Extr. Gvaj. &c. Tinct. corall. cum Sp. lignor. par. v. gr.

℞. Ess. lignor. comp. ℥ij. Tinct. ♁ij. ♀sat. ℥j.
M. S. Blutreinigende Mixtur auf etl. mahl.
℞. Tinct. Corall. cum Sp. lignor. par. ℥ij. d. in Vitr.
S. Tinctur 45. biß 50. Tropffen j. mahl.
℞. Liqv. CC. s. Viperar. cum ⊖vol. succin.
par. Tinct. resin. Gvajac. āā ℥j. M. S. ut supr.
℞. Tinct. Bez. D. Mich. camph. ℥ij. Ess.
lign. compos. ℥j. M. S. Schweiß-Tinctur.
℞. Antim. diaph. ʒiß. Bez. ♂al. ℈ß.
⊖vol. succin. Viperar. āā gr. Xij.
M. f. pulv. div. in 2. part. æqv. S.
Blut-reinigende Schweiß-Pülverlein.
℞. Bez. ☉is gr. XV. Magist. Cinnab.
♁ij Cnoes. gr. Xij. M. S. ut supr.
℞. Extr. Gvajac. ℈ß. Diasc. Fracast. ʒiß.
pulv. Bez. Senn. gr. XXV. Rob. junip.
ʒij. d. in pyx. S. Schweiß-Lattwerg.

Qvibus addendæ qvoqve decoctiones radicum & Lignorum utpote Sarsapar. Chinæ, lign. Gvajac. sassafr. Junip. Qvern. &c. Inter qvas imprimis proficuæ videntur illæ, *à Poter. l. 1. Pharm. Spag.* descriptæ atqve bis in die ab ℥IV. ad Vij. propinatæ; Copiam illarum *vid. ap. Sennert. Amat. Lusitan. Forest. &c.* Egregiæ virtutis etiam sudoriferum Anti-Venereum est illud *Barbett. Pr. Med. l. 4. c. 4.* qvod

℞. Lign. Gvajac. ℔iß. rad. Sarsæpar.
Chin. āā ℥iij Irid. flor. ℥j Inf. per 24. horas

in q. s. ▽. comm. Coqv. parum, Colat. evaporetur ad ℥iij. qvæ dissolv. in ▽ petrosel. ℥XVj. Elix. citr. à Sal. descr. ℔j. filtr. per Manic. Hippocr. add. Sir. de Glycyrrh. s. Ros. q. s. Non minoris efficaciæ foret, si loc. ▽ petroselini in succ. Betul. destill, qvi egregiâ vi resolvendi pollet, solveretur.

E *Diureticis* se commendant, qvæ Salino suô principio seri mucum dissolvunt, liqvant, præcipitant, ac virtute abstersiva blanda seminalem ichorem alterant, ureteres atqve Urethram ab ulceribus, ardore urinæ ac gonorrhœâ malè affecta demulcent, suntqve vel diluentia, vel temperantia, vel præcipitantia. Hinc conveniunt Emulsiones sem. 4. frigid. maj. & min. Amygd. dulc. pap. alb. alkek. Sem. anis. fœnic. violar. purp. bacc. junip. oc. 69. Os sep. magist. cryftall. mont. lap. Carp. Percar. Sangv. Hirc. sec. Helm. ppt. Tereb. in Ol. & ♎ redact. ⊖♀r. Arcanum ♀r. Helm. Ludum atqve Ess. Lithontr. Cnoef. Spec. Nephrit.& Lixiv. diuret. Mynf. Lixiv. polychr. *Rolfincc. l. V. Sect. II. Med. Spec.* qvalia lixivia mirè qvoqve extollit *Willis. Part. II. Pharm. Nat.* Succinat. it. ut succin. ppt. ⊖ vol. succin. Ess. succ. Tinct. Amelung. atqve ⊖ è resid. Cap.mort. elicit. &c.

℞. Tereb. Cypr. cum ▽ nymph. lot. & ad durit.
coct. ℥j. magist. cryst. mont.
Succin. ppt. āā ʒiß.
Resin. gvajac. gr. XV. M. f. pulv. S.
Nieren = Pulver auf etl. mahl.

℞. Sem. viol. purp. pap. alb. 4. frigid.
maj. āā ʒj. amygd. dulc. exc. ʒij.

Cum s. q. ▽ agrimon. saxifrag. s. succ. betul. f. l. a. Emuls. S. lindernde Milch.

℞. Ess. Lithontript. Cnoef. ʒij Tinct. Amelung.
ʒj. M. S. Nieren = Essenz.

℞. Magist. cryftall. mont. ☿ij diaph.
solub. āā ʒß. ⊖ succ. vol. ℈ß.
Succ. glycyrrh. inspiss. gr. XV. M. f.
c. Tinct. anodyn. l. a. Pil. n. 27. pro qvâlibet dosi 9. superbibendo haust. ▽ succ. betul. S. Lind = Pillen.

§. 7. Hæc omnia medicamenta licet & generaliter & specificè Alterantia sint, commendantur tamen ab Authoribus Practicis

cis hinc inde magis adhuc ſpecifica. Sic ab *Hartmann. Pract. Chym. p. 327.* Spiritus ſ. Ol. ☿ii. album & rubeum à gr. j. ad ij. in 🜄 theriac. M. S. ~u Gvajac. ac imprimis in 🜄 perſicariæ, qvæ per ſudores omne expedire, qvodcunqve in corpore noxium credit, magni habentur. Notum mihi qvoqve eſt medicamentum ex ♁io, ☿io & ⊕lo conflatum, it. Ol. ♁ ij. dulc. qvorum prius à gr. ij. ad iij. poſteriùs à gr. j. ad gr. ij. ſummum ſangvinis depurativum exiſtit. Qvod ſi autem gravior mali hujus radix ſit, nec decoctis ſudoriferis aliisqve dictis medicamentorum poteſtatibus evelli poſſit, judice *Olao Wormio l. 1. Muſ. rarior. B. Schneid. l. 3. c. 11. p. 438. de Catarrh. Tim. à Güldenklee l. 7. caſ. 3. Sylv. Prax. Append. Tr. 3. §. 323.* ad Giganteum ☿alis ſalivationis medicamentum confugiendum, qvô, qvoad omnia qvaſi ſymptomata dolores, tumores, tophos, ulcera, nodos &c. ipſi ſatisfacimus. ☿ii enim partes ⊖inæ acetoſæ & 🜍eæ volatiles in glandulis & ſero per admotionem receptæ à calore naturali ſubtiliſantur, evehuntur, in motum citantur, unde ſero qvoqve majorem motum inducunt, viſcidum, lentum, tenax diſſolvunt, mobile ac fluxile reddunt, & ad conſveta aliàs evacuationis loca, glandulas ſc. palati, faucium deferunt, ut ibidem excludatur. Inſtituitur autem, non niſi præmiſsâ venæſectione & purgatione, atqve commidisſimè cum pingvedine ſuillâ vel ungventô pomato, roſac. Ol. laur. erpreſſ. ☿ius vivus ſubigitur atqve juncturis articulorum, manuum, brachiorum ac pedum, itemqve ſpinali medullæ inungitur, v. g.

℞. Ungv. roſat. pomat. āā. ℥iß. ☿ii viv.
& cum ſ. q. terebinth. extinct. ℥j.
Ol. ſpic. gt. vj. lign. rhod. gt. iv. M. f. Ungv.
D. in pyx. S. Glieder-Sälblein.

℞. Ungv. ☿al. Rolfinc. ſ. Senn. ℥iij.
D. in pyx. S. ut ſupr.

Tamdiu autem inunctio continuanda, donec ſalivatio l. alvi fluxus, vel alia evacuatio ſuccedat, qvæ ut plurimum tertiô l. qvartô die contingit; Locus dehinc decoct. convenienti Nervino abluatur ac omne frigus diligenter evitet patiens.

§. 8. Sunt & alii modi applicandi ☿ium, utpote per Zonam ſ. cingulum, de qvo *vid. Ruland.* Emplaſtra, ut Empl. Vigon. de

Ran. cum dupl. aut tripl. ☿ii. Linteamina ▽à ☿ali madefacta; suffimigia, qvi modus omnium vehementissimus ac periculosissimus, *vid. B. Senn. c. l. c. 21.* Internè qvoqve ☿ius vivus *à Rondeletio, Platero & aliis* adsumitur, qvales sunt Pil. Barbaross. Præstat verò si ☿us dextrè præparatus, v. gr. à granis aliqvot vel in Pilulis, vel conserv. singulis diebus continuatô usu exhibeatur, cui scopo optimè inserviunt Merc. sublim. dulc. Turpeth. miner. aut præcipit. ruber. Symptomatibus verò hinc oriundis, Vacillationi dentium, tumori ac inflammationi faucium, glandularum ac exulcerationi cautè ac sedulò prospiciendum Gargarismatibus ex lignis, ros. rubr. Balaust. rad. Bistort. irid. flor. NM. Mastich. Myrrh. decoct. Prunell. rut. plantag. fumar. Salv. additô mell. rosac. Sir. Myrt. Granat. Qvorsum & facit ▽ Catechu, Tinct. gumm. Laccæ, ac O ustum. Convenit qvoqve nummum ☉um semper in ore detinere, qvi attractô Merc. qvod ex colore albido videndum, igniendus probè, iterumqve assumendus. Dolentibus qvoqve membris laminæ aureæ imponendæ, cui scopo etiam scobs s. pulvis auri subtilissimus internè assumptus conveniet.

§. 9. Brevibus itaqve pro instituti ratione demonstratâ Methodô medendi in Lue universali, superesset nunc symptomatibus qvoqve multiplicibus opem ferre. Sed cum brevitate excludamur, summa tantum delibabo. In *Gonorrhœa*, commendo Extr. Antivenerea, Emuls. oleosas Semin. 4. frig. maj. & min. Sem. Vitic. Cannab. pap. alb. Os. sep. Succin. Ebur, Corall. Ol. ac Sp. Thereb. Gvajac. Bals. Copaib. ♀r. anisat. terebinthinat. succinat. Croc. ♂t. adstr. Myrrh. Bol. armen. Mum. Spern. Croll. & Cnoef. ex ocul. nigr. Gumm. Arab. Tragac. Aroph. Parac. atqve Ol. adstring. Myrtin. Myrtill. mastich. & menth. cum cydon. externè inungenda.

§. 10. *Pustulas, Ulcera, Bubones* fomentamus Decoct. Lignor. ▽is ☿alibus, Calc. Viv. Ol. ærug. Bals. ♀r. Rul. Peruv. Mum. mineral. *Potcr. l. 3. Pharm. Spag.* Bals. ☿al. *D. Senn. c. l. c. 23.* Ungv. ☿ali *Hartmann. p. 335.* Ol. ♄ii saccharat. &c. Cataplasmatibus it. è rad. Alth. lil. alb. Cæp. ficub. Empl. Diach. ℞nino,

Diaph.

Diaph. Mynſ. Qvorſum faciunt etiam Balnea ex rad. oxylap. lil. alb. ariſtol. rot. Herb. perſic. ſaponar. ſcabioſ. fumar. agrimon. nepeth. abrot. ☿ali, fl. Sambuc. hyperic. verbaſc. chamom. bacc. laur. junip. furfur. tritic. 🜍e viv. ⊕l. ♀ro, ſcor. regul. ♁ij &c. parata.

§. 11. *Dolores* lenimus per decoct. Sarſapar. Chin. laud. op. 🜍a. min. anodyn. fix. Cinnab. ♁ij, Diaſcord. Fracaſt. Mixt. theriac. cum Tinct. anodyna mixt. atqve per Epithemata externa ac Cataplaſmata, qvæ in arthritide Scorbutica applicari conſveverunt, de qvibus *vid. Möllenbroc. d. Varis.*

§. 12. *Cariei oſſium, gummatibus atq; fungoſis excreſcentiis* ſalutare auxilium præbent præter Cauteria ignita Ceruſſ. lythargyr. Tutia, lap. calam. pulv. gvajac. Sacch. ♄n. 🜄a ⊕l. dulc. pulv. Nicot. aloe, myrrh. Calx viv. lot. &c.

§. 13. *Verrucas* tollit ſuccus Chelid. maj. crebrius applicatus, it. Cichor. verrucar. contuſ. ac impoſit. *vid. Borell. cent. 2. Obſ. 46.* it. Sp. 🜍r. aut ⊖is. cum melle ſubactus, Empl. de Galb. Mynſ. de Ran. Vigon. cum Mercur. aut

℞. 🜄 plantag. ℔ß. Mercur. ſubl. ℈IV.
Alumin. ℥ß. M. ac diſſolv. & cum penna

huic liqvori intinctâ tange dictas verrucas, ſic emarcidæ pedetentim decident, vel ſi racematim ſint conſitæ, qvod faciunt imprimis thymi & Condylomata ℞. 🜄. Calc. viv. ℥iij. Mercur. ſubl. ℈ij. & illine, aut loca linteaminibus madidis fove & brevi cadent exeſa.


§. 14. *Veſiculam cryſtallinam* circa frœnum glandis in virili membro enatam, ac ſub nigreſcente Eſchara mortificantem confirmante *Hartmanno* ſolo Sp. Tabac. curamus, non omiſsô etiam Ol. Laurin. expr. & ſtill. Spicæ. Vel applicari etiam poteſt Ungv. de Ceruſſ. & 🜄 ſigill. cum ſuccin. ppt. inſparſis pro exſiccanda humiditate. Lithargyr. qvoqve & O. cum oc. 69. ſ. 🜄 ⊕l. dulc. in aqv. plantag. coct. ac per ſyphonem injecta egregiè

conducunt, adjunctisqve in meatu urinario carunculis præter filum cereum, terebinthinatum, cui Ungv. Citrinum illitum, camphora ac ☿ius sublim. medentur.

§. 15. Hisce universalibus & particularibus medicamentis si accuratæ Diætæ regimini & illud *Ovid. l. 1. remed. amor.* adjungetur:

Utile propositum est sævas extingvere flammas,
Nec servum vitiis pectus habere suum;

Non desperandum, procelloso hujus morbi æqvore emensô in securum demum sanitatis portum deventuros esse ægros. Qvem & ego nunc respiciens, Benigno ac Misericordi DEO pro navatâ mihi operâ laudem & Gloriam sempiternam dico!



CL. VIRO

DN. JOHANN. GEORG. Rebentrost/

S. P. D.

D. JEREM. LOSSIUS, P.P.

MOrbi omnes, qvi genus humanum affligunt, in commiserationes trahunt Homines. Concordi enim plerumq; sumus animo, si miserias nostras intimiùs consideramus, & solamur nos communi necessitate. Sola Lues Venerea indignationem in se convertit, qvoniam plerumq; impuris congressibus eam contrahunt, & ipsi hanc sibi fabricant fortunam mortales. Qvò factum ut & Medici eosdem dignos commiseratione non judicent, sed à solo hoc Mor-

Morbo ſoſtra largiora expetant , qvi contagioſus eſt, nec ſolas columbas vexare ſolet. Dum ejus naturam Diſſertatione Inaugurali eruditè ſatis explicas, & impoſterum opem ægrotis ferre ſatagis, gratulor animitus de ſtudiis exantblatis, & precor, ut felices ſemper habeas progreſſus,·& vel in hoc morbo veterum Medicorum fortunas qvoq; experiaris. Servet Te DEUS.

Dab. è Muſeo ipſis Idib. Sept.
M. DC. LXXXIII.

